

† R. P. Otto Robrecht (1871-1946)

(Prov. Bonaëren.)

Otto Robrecht natus est in civitate Rhenaniae Oberhausen 27/7/1871. Postquam per aliquod tempus in gymnasio Düsseldorf latinis studiis incubuit, a sacerdote saeculari, qui olim in nostro novitiatu fuerat, missus est in parvum juvenatum Provinciae Germaniae Inferioris, tunc temporis in Vaals Hollandiae situm, ineunte a. 1888. Sacra ligoriana veste indutus est in eiusdem Provinciae domo probationis Echternach, nunc ad Provinciam Argentoratensem pertinenti, 2/10/1891 atque ibidem exacto anno in perpetuum sese Instituto nostro nuncupatis votis devovit. Per biennium Luxemburgi vacavit studio philosophiae et scientiarum naturalium, theologiae autem per triennium in studentatu belgico Beauplateau; nam Provincia G. I. cuius sodalibus annis 1873/94 in patria aqua ignique interdictum erat, eo tempore perpaucos (12) studentes habebat.

Unus ex eius commilitonibus, R. P. Aemilius Oeken, adhuc recordatur Ottonem Robrecht ut adolescentem vivacem, hilarem, operosum, boni communis propriique Instituti amantem, omnibus carum.

Notes à Creatore acceptae, velut sensus practicus, vox sonora, bona valetudo, eum potius vitae missionali destinabant. Revera Superiores eum statim post ordinationem sacerdotalem (10/8/1897) ad nascentem Vice-Provinciam Argentinensem, tunc nonnisi 3 domos et 30 sodales numerantem, miserunt, ut ibi studia completeret, novae patriae linguam bene addiceret et ministerium redemptoricum exerceret.

Spem in se positam nunquam fefellit «Padre Otón», ut in terris fluminis La Plata vocabatur, illo dimidio saeculo, quo ibi constitit. Eminebat in tradendis missionibus cuiusvis generis, sive in magnis civitatibus sive in paroeciis ruralibus, item in habendis sive clero sive religiosis communitatibus exercitiis spiritualibus, vel in ministerio nostrarum ecclesiarum, maxime in urbe principe Buenos Aires, vel etiam in paroeciali ministerio magnae illius ac difficillimae paroeciae Rosariensis, quam ipse Summus Pontifex a. 1927 filiis S. Alfonsi voluit esse commissam.

P. Robrecht, qui iam triennio 1921/24 Rector domus Rosario, exeunte a. 1909 fundatae, fuerat ac constructionem novi magnificique templi in Matris perpetuo succurrentis honorem paraverat, aliis tribus trienniis 1927/36 opus grande, a defuncto P. Rectore Henrico Karnbauer inceptum,

ad felicem exitum perduxit, manifestans simul sese habilem talis parociae novae organisatorem¹.

Peculiare confratri defuncto inerat ingenium reperiendi Instituto generosos benefactores, sive agebatur de condenda nova sede iuvenatus Bella Vista (1918), sive de alio opere Provinciae necessario et magnas expensas requirenti.

Ad hoc multum conferebat vita exemplaris huius optimi sacerdotis. Commovebant eius paenitentes iam unctio illa, qua confessarius sacrosanctum Iesu nomen pronuntiabat, et multi cuiusvis generis fideles, postquam ab eo tanta benignitate excepti et tractati fuerant, dicebant: « Est verus Christi discipulus ».

Ei, qui in vita, ut divinus eius Magister, *pertransiit benefaciendo* (Act. 10, 38), et qui Deiparae honorem tam egregie promoverat, mors venit admodum pacifice 4/11/1946, et haud pauci ex eius amicis eum demortuum comitari voluerunt usque ad longinquum locum sepulturae Manuel Ocampo.

Biennio post obitum (8/8/48) bonus P. Robrecht singulari modo honoratus est Rosarii, ubi adhuc eius memoria vivit vegeta; enim illo « die parochi » in nostrae ecclesiae atrio appositus est lapis marmoreus cum hac inscriptione:

AL R. P. OTÓN ROBRECHT - PRIMER PÁRROCO - EJEMPLAR SACERDOTE Y MISIONERO - EFICAZ PROPULSOR DE ESTE TEMPLO - FELIGRESES, COHERMANOS Y AMIGOS - OFRENDAN. ROSARIO 8-VIII-1948.

Ipsae Eñus Antonius Card. Caggiano, Ordinarius Rosarien., pro hac caeremonia sponte se obtulerat. Celebravit igitur h. 9,30 Missam iuventutis persollemniter et postea illum lapidem revelavit ac benedixit. Defuncti memoriam eloquenter evocavit vir laicus, praeses consilii parocialis, et hodiernus parochus A. R. P. Gul. Müller debitas gratias egit. *In memoria aeterna erit iustus* (Ps. 111, 6).

¹ Cfr. *Analecta* XI (1932), 155/58.